

tus violarunt^r instrumenta, pacis tenorem continencia^{2/}, incidentes in frusta; quo Princeps^p [a] audito, jure irasci potuit, fidelis vales^{2/} scire interpretes [b].

^c ^e ^{cum Faventinis}
Quando cancellarius Christianus [c] obsedit castrum Sancti Cassiani [A].

CAP. LXXIX.

Post gloriosum Virginis partum anno MCLXXV, mense^F februarii, Christianus Maguntinus archiepiscopus, domni Frederici imperatoris cancellarius et in Italiam delegatus, cum Faventinis, Ravennatibus, Imolensibus et aliis quam pluribus [d] obsedit castrum Sancti Cassiani, in quo erant ex Bononiensibus centum milites. Bononienses vero, congregato a partibus Lombardie copioso exercitu, sic suis manu succurrerunt armata, quod ipsos et terrigenas cum rebus suis de manu liberaverunt hostium, castrum penitus dimisso vacuo; quod Imolenses statim combusserunt, nec postea restauratum est usque ad praesens tempus. Eodem anno, per plures menses, Iohannes Strumensis [B] stetit Faventiae, qui et papa Calixtus dicebatur, quem amore Imperatoris, praedictus manutenebat Cancellarius.

De proelio apud Lignanum facto.

CAP. LXXX.

Anno Domini MC septuagesimo quinto, in mense^{1/} junio, cum audisset praefatus dominus Mediolanenses et quosdam alios Lombardos, ut eum offenderent, in locum qui dicitur Lignanum, convenisse, nullo alio adiutorio accito, cum septingentis militibus, quos adhuc habebat, nominatos viriliter aggressus est inimicos. Debellatis vero atque fugatis Bononiensibus ac Brixienibus, et eorum carrozsis [e] ab omnibus dimissis, fugatis praeterea militibus Mediolanensibus, cum Placentinis [f] institit princeps, ut populum Mediolanensem, qui circa carrozam [g] erat, dividere posset atque conterere.

[a] quo princeps. Sic lego. Codices habent quo principes. — [b] fidelis vales scire interpretes. Sic C. M. In C. V., pro vales, legitur valens; sed utroque modo sensus obscurus est. — [c] cancellarius Christianus, C. V.; cancellarius Christianus, C. M. — [d] quam pluribus, C. M.; quam plurimis, C. V. [e] et eorum carrozsis. Sic Codd. — [f] cum Placentinis. In C. M., cum Plagentinis. Omnes hi populi comitabantur tunc Imperatorem. — [g] circa carrozam, C. V. An legendum potius: circa carrozum? Utrumque legi posse videtur in C. M.

[A] De castro Sancti Cassiani prope Imolam hic agitur.

[B] Iohannes Strumensis, aliter Iohannes de Struma, pseudo pontifex, nomine Calixti III. Tondutius eum vocat, ad hunc annum, Paschalem.